



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LXXXIX. Pildenreutense Monasterium, virginum, in dioecesi  
Aistetensi, in Germania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**

## CAPVT LXXXVIII.

VVINDESEMENSE MONASTE-  
rium, in Germania infe-  
riore.

**C**eleberrimum istud monasterium an-  
no 1387. in pago *VVindesem* est funda- 1387.  
tum : quod postea plurimorum monaste-  
riorum Capituli seu Congregationis *VVin-*  
*desemensis* caput per Germaniam superio-  
rem atque inferiorem exstitit.

Est autem *VVindesem* situm in Transfala-  
na prouincia, Germaniæ inferioris.

Mons sancti Agnetis, propè Svollam Tran-  
sifalanæ prouinciæ opidum ann. 1398. funda-  
tus est. In hoc monasterio vixit & obijt  
Thomas à Kempis, vir pijssimus : vt inter  
alia eius opera testatur eiusdem liber de Imi-  
tatione Christi, *Qui sequitur me*, nuncupatus.  
Vide suprà cap. 13.

## CAPVT LXXXIX.

PILDENREVTENSE MONASTE-  
rium, virginum, in diocesi Aistetensi,  
in Germania.

**P**ildenreutum Canonissarum regularium  
S. Augustini cœnobium perelegans in  
nemore Noribergensi, ad amplissimos lacus,  
non procul ab eiusdem potentissimæ vrbs  
Latomijs situm, d. Aistetensis, anno Christi  
M 5 circi-

1340. circiter 1340. initium habuit à quinque piis  
 fororibus, & Imperatorij Generis virginibus, *Elisabetha Vispeckhina*, *Adelheide Zolnerina*, *Christina Venatrice*, *Khunigunde* ab *Odenfees* ac *Osanna Osterreicherma* ex *Deckendorpho* Bauarico opido nata; quæ collectis alijs etiam octo fororibus Imperatorem Ludouicum Bauarum, *Noribergæ* tunc temporis comitia habentem, precibus persuaserunt, vt ipsis in hoc nemore cœnobiolū construeretur, in quo Deo laudes in bellis ab hoc Imperatore gestis omissæ adimplerentur, & ita quod priùs in cultu Dei neglectum fuisset, ibi refarciretur. Imperator monitis puellarum ardore quodam diuini cultus flagrantium obtemperans, in die Sancti Lucæ Euangelistæ, anni Christianorum 1341. è *Noriberga* in vicinum nemus prodiit, vt cœnobiij futuri locum exploraret; quod cùm in vicino Pago *Churnburgensi* (hodie *Kornburgensem* vocant) auspicari vellet, cantu quodam miræ dulcedinis inde ad nemus reuocatus dicitur; vbi cùm magnæ & altæ cuidam quercui crucis quasi cœlitus ostensæ imaginem imminere videsset, equo mox lapsus, primus securi arborem eam notauit, & se præsentē excindi illam curauit, eumque locum ad construendum monasterium destinauit: vnde nomen etiam inditum est, vt ab imagine crucis, quæ apparuit

ruit in illa nemoris parte, quæ ad construendam domum pietatis ac disciplinæ excindenda erat, *Pildenreutum* diceretur. Prodierrat vnà cum Imperatore præpotens quidam Patricius Noribergensis *Conradus Magnus*, tunc temporis Scultetus, vt vocant, Noricus. Is prædium quod in ea ipsa vicinia habebat optimum, præfente Cæsare, futuræ monialium congregationi cum omnibus adiacentibus agris dono dedit, omnibus temporibus possidendum. Imperator cœnobio egregium dedit diploma anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, Ducalis regni sui xxxi. imperij verò xviii. ex quotidiana hominum collatione, & eleemosynis tantum, tandem contraxerunt, vt ex primo ligneo templo saxeam fecerint, decimo sexto anno post primam conuentionem. Tandem anno Domini millesimo trecētesimo septuagesimo octauo, subdidere sese concordibus animis *Rabano* Episcopo Aistetenfi, petentes ab eo certum ordinem: qui missō ad eas Canonico quodam ex S. Villibaldi choro, *Burchardo de Pleynfeld*, consecrari ipsas, & sub obedientiam accipi, Canonissasque S. Augustini regulares designari curauit: & Præpositam gubernatricem cæterarum elegit anno 1379. in die 1379.  
S. Thomæ Apostoli, mense  
Decembri.

CAPVT